

Novitii et Novitiae et a fortiori dicti juvenes et puellae adhuc saeculares, si habeant patrimonium, debent sepeliri propriis expensis, nisi adesset consuetudo, ut expensis semper monasterii sepelirentur. Si autem patrimonio careant, debent sepeliri expensis monasterii: *Card. Petra* loco cit. n. 38. cum aliis ibi citatis, *Ventriglia* loco cit. n. 8. cum aliis ibi adductis et plures alii apud *Donat.* loco cit. quaest. 4. n. 1. et 3.

Regulares professi decedentes extra Conventum, si commode ad ipsum deferri possint, debent in eo sepeliri. *Communis*, textu expresso in cap.: *Religiosi* 5. de sepulturis in 6. ibi: „Religiosi, nisi a propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle vel nolle non habeant) sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi“.

In tali casu non tenentur Regulares solvere portionem canonicam Parocho loci, in quo Regularis decessit, quamvis religioso infirmo viaticum et extremam unctionem ministraverit: S. Congr. Episcop. et Regul. in Puteolana die 22. Maii 1615 apud *Barbos.* de offic. et potest. Parochi cap. 26. n. 68. Possuntque Regulares dictos defunctos suos religiosos defere ad suum monasterium inconsulto Parocho; S. Congr. Concilii in Bononien. die 3. Julii 1620 in responsione ad 10, quod erat his verbis conceptum: „decimo, morendo fratri, come avviene alle volte, ed in particolare de' Canonici Lateranensi, fuori del monastero in casa de' loro parenti, ed avendo i Curati amministrato loro i sanctissimi Sacramenti; se possono i loro Superiori farli portare di notte allo loro Chiesa, senza dirne cosa alcuna al Curato, e senza darli le ragioni parrocchiali“? Sacra Congregatio Concilii respondit: „Regulares extra

claustra decedentes posse ad ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis“. Sic referunt *Passerin.* tom. 2. quaest. 187. art. 4. n. 211., *Card. Petra* loco cit. n. 7., *Donat.* loco cit. qu. 9. n. 1. et alii passim. Talis autem delatio inconsulto Parocho est facienda modo privato sine pompa, sine cruce et processione, ut affirmant *Card. Petra* loco cit. n. 9., *Pignatell.* tom. 4. consult. 199. n. 9., *Matthaeucc.* loco cit. n. 16. referens sic in casu fuisse observatum Romae. Si autem quandoque ex quibusdam circumstantiis congrua videretur sollemnis delatio defuncti Regularis cum cruce et processione ad monasterium suae religionis, deberet fieri cum assistentia vel saltem de consensu Parochi, cum ratio et consuetudo non patiat, ut Regulares sine Parocho aut ejus Delegato, qui posset in casu esse etiam aliquis regularis causa exequiarum, procedant extra monasterium personaliter; *Card. Petra* loco cit. n. 16. et alii. Attamen in hoc dicerem, servandam esse locorum consuetudinem, cum ipsa non solum sit in dubiis optima legum interpret; leg. Si de interpretatione 37. ff. de legibus, cap.: *Cum dilectus* 8. de consuetudine, sed etiam clare legi deroget; cap.: *Cum tanto* 11. de consuetudine.

In casu autem, quod Regulares decedant in locis a suis monasteriis ita remotis, ut ad ea deferri commode non possint, sepeliri debent in ecclesia ab ipsis electa, cum ad id in simili casu facultatem habeant a jure sibi concessam per dictam limitationem in cit. cap.: Religiosi 5. de sepultura in 6. ibi: „Nequeunt... sibi eligere sepulturam... nisi a propriis monasteriis adeo sint remoti, ut ad ea commode portari non possint“. Sic Glossa ibid. verb: Nota, *Donat.* loco cit. q. 2. n. 3., *Engel* loco cit. n. 11., *Reiffenstuel* loco cit. n. 18. et alii passim.

Si tamen in dictis locis remotis decedant Regulares, non electa sibi sepultura, sepeliendi sunt in Ecclesia parochiali, in qua moriuntur, idque expensis proprii monasterii, si bona iu communi possideat: Donat. loco cit. qu. 2. n. 4. cum aliis ibi citatis, *Reiffenstuel* loco cit. n. 18., *Glossa* in cit. cap.: *Religiosi*, verb.: Nota, ubi citat communem doctorum his verbis: „Sed quid, si moriatur, non electa sepultura? Communis opinio doctorum est, quod sepeliendus est in Ecclesia parochiali, in cujus Parochia mortuus est“.

Tunc autem dicitur Religiosus mori in loco remoto, ut detur ei locus electioni sepulturae, quando ejus cadaver distat a suo monasterio per iter unius diei, id est, ad quod per unicum diem cadaver transferri nequit, neo forte putrescat et inficiat aerem, Donat. loco cit. quaest. 2. n. 5., *Bord.* tom. 2. resol. 4. n. 161., *Pelliz.* in *Man. Regul.* tom. 2. tr. 8. cap. 5. n. 29. et alii; vel relinquatur arbitrio prudentis judicandum, ut not. *Card. Petra* loco cit. n. 31., *Matthaeucc.* loco cit. n. 16. in fin. et alii.

Quod dictum est de professis decedentibus extra claustra, dicendum est etiam de Novitiis, praesertim cum extra claustra decedunt, quando ad exequendam Superiorum voluntatem exierunt seu quando de consilio Medici et licentia sui Superioris se transtulerunt ad domum suorum parentum pro recuperanda inibi sanitate. Tunc enim sepeliendi sunt in monasterio sine obligatione solvendi canonicam portionem Parocho, quia gaudent juribus et privilegiis ordinis et in favorabilibus veniunt nomine professorum: arg. cap.: *Religioso* §.: *Quamvis* 21. de sentent. excomm. in 5., *Donat.* loco cit. q. 8. n. 5., *Pelliz.* tom. 1. *Man. tr.* 8. cap. 5. sect. 4.

Decreta authentica. Tom. III. Pars II.

qu. 10. n. 137., *Mancin.* in brevi tract. de infirmitat. in ordine ad sepulturam dub. 9., *Dicastill.* de instit. lib. 2. tract. 19. d. 3. n. 209., *La Croix* lib. 6. n. 248. cum *Sanch.* ibi cit. et pluribus declarat, *Pignat.* tom. 7. consult. 70.

Regularis Confessarius monialium pro earum cura spirituali habitans in domo prope monasterium ad praescriptum Alexandri VII. constitut. incip.: Felici §. 11., si infirmetur ad mortem, recipit viaticum et extremam unctionem a suis Religiosis et non a Parocho. Quamvis enim Regulares, qui infirmantur ad mortem in domibus saecularium, talia Sacramenta recipere debeant a Parocho, ut declaravit S. Congregatio sub anno 1620 apud *Donat.* tom. 3. tract. 10. q. 9. n. 6., itemque ead. S. Congr. in *Collen.* 11. Aprilis 1609 et *Messanen.* 20. Septembris 1598, tamen haec declaratio non videtur comprehendere dictum confessarium, quia ipse non infirmatur proprie in domo saeculari, sed potius in domo quasi religiosa et exempta ad hunc effectum et quidem a Summo Pontifice praescripta quasi domo parochiali seu conventuali ipsius regularis confessarii inibi habitantis tamquam Parochi ad curam spiritualem monialium. Unde non est censendum, quod Pontifex statuendo talem mansionem pro dicto confessario regulari, ipsum reddere inferioris conditionis, quam sint alii Religiosi commorantes in suo Conventu, adeoque exempti a Jurisdictione parochiali, cum ipse sibi manendo censeatur quoad hunc effectum manere in Conventu et de facto ibi maneat sub obedientia sui Superioris et sibi tamquam conventuali mansionem designata a Pontifice; alias non requireretur, qui vellet hoc onus subire sicque moniales remanerent destitutae tam necessaria cura spirituali; tum quia si infirmetur Pa-

rochus in propria sua domo parochiali recipit Sacramenta a sua Parochia independenter a quolibet, ergo etiam dictus confessarius regularis, qui velut Parochus habitat in dicta domo sibi a Pontifice praescripta tamquam sua domo parochiali, potest independenter a quolibet recipere haec Sacramenta ab ecclesia monialium tamquam a sua exempta Parochia. Talis enim Regularis nedum gaudet exemptione personali, sed quoad hunc effectum etiam exemptione locali; tum etiam quia nemo potest rationabiliter asserere, quod ipse confessarius infirmus non possit refici eodemmet Sacramento, quod ipsemet sanus in sua velut parochiali monialium Ecclesia confecit, argum. epist. 1. ad Corinth. cap. 9. n. 7. ibi: „Quis plantat vineam et de fructu ejus non edit“? Accedit etiam recepta consuetudo, quae non solum in dubiis est optima legum interpres, I. Si de interpretatione 36. ff. de legibus, cap.: *Cum dilectus* 8. de consuetudine, sed etiam clarae legi derogat, cap.: *Cum tanto* 11. de consuetudine.

Regularis viator et hospes in Conventu alterius religionis, v. g. Dominicanus in Conventu Franciscanorum, si ibi decedat, non sibi electa sepultura et valde remotus et distans sit conventus proprii ordinis, sepeliendus est in Ecclesia parochiali, intra cuius fines est Conventus, in quo decedit; de ipso enim discurrendum est ac de Regularibus decedentibus in locis saecularibus, ita remotis a suis monasteriis, ut ad ea deferri commode non possint, qui ut diximus supra sepeliendi sunt in parochiali.

Et inibi sepeliendus est expensis sui peculii, si habeat, vel, eo carente, expensis proprii monasterii. *Card. Petra* loco cit. n. 36., *Sanchez* lib. 6.

in decalog. cap. 14. n. 4., *Castropal.* part. 3. tract. 19. disp. 4. punct. 13. §. 8. n. 6. et alii. Et ratio est, quia monachus in vita acquirit monasterio, cap.: *Statutum* 15. caus. 18. q. 1., cap.: *Quia ingredientibus* 7. caus. 19. q. 3. cap.: *In praesentia* 8. de prob. cum similibus, ergo monasterium in ejus morte debet ipsius sepulturae onus sentire; qui enim sentit commodum, sentire debet et onus, *leg. Si merces* 25. §. 6. ff. Locati, cap. *Qui sentit* 15. de regul. jur. in 6.

Quodusque nunc dictum est de Regularibus, est dicendum etiam de monialibus, ita est in omnibus dispositio cit. cap.: Religioso 5. de sepulturis in 6. cum eisdem procedat. Hinc si contigerit, quod aliqua monialis moriatur extra suum monasterium, idem est concludendum, quod ibi statuitur de viris regularibus: *Murga* disp. for. tom. 1. disp. 8. de electione sepulturae §. 9. et 10., *Card. Petra* loco cit. n. 40. et alii passim.

Regularis expulsus seu ejectus, si non eligat sepulturam, ad quod habet facultatem, cum statim ac ejicitur a religione censeatur relinqui, ac si Religiosus non esset et videatur nolle ejus corpus cum illis Religiosorum sociari, ut docent Murga loco cit. disp. 8. §. 3., *Molina* tract. 2. disp. 276., *Lessius* de justit. et jur. lib. 2. cap. 41. dub. 15. n. 113., *Card. Petra* loco cit. n. 37. et alii passim, sepeliendus est in Parochia, in qua decedit, arg. cap.: *Nos instituta* 1. cap.: *Ex parte* 5., cap.: *In nostra* 10. de sepulturis, cap.: *Animarum* 1. et cap.: *Is qui* 3. eod. in 6.

Et tunc expensae faciendae sunt de ejus peculio, si habeat, seu de peculio parentum et in casu omnimodae paupertatis debet a Parocho tumulari gratis, sicut gratis tumulari debent cadavera aliorum pauperum, ut statuit

S. Congr. Episc. et Regul. in Cassanen. die 5. Maii 1617.

An cum fratres aliqui extra monasterium moriuntur et a Curatis Sacramenta receperunt, possint ab eorum Superioribus ad suas ecclesias deferri, parochis inconsultis? Resp.: *Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis.* S. Congr. Conc. die 2. Julii 1620.

44) Ritus.

Vd.: *Absolut. mortuor.* (ritus.)

Ad dub.: Quae ratio vel forma servanda sit in funeralibus alicujus defuncti tam adulti quam parvuli in fer. 5., 6. et Sabb. s.? S. C. resp.: Non debet alterari usus communis; alias enim ommissa non fuisset regula: in psalmis tamen, qui dicuntur pro parvulis posset omitti v. g. *Gloria Patri* etc. pro conformitate temporis. N. 2812 ad 6 die 16. Januarii 1677.

Ad dub.: In exequiis parvul., quae fiunt in hebdom. majori, debetne in fine psalm. dici: *Glor. Patri*? Quid in eo casu exigit uniformitas? S. C. R. resp.: Non est necesse in fine psalm. tribus dieb. hebdom. majoris recitari *Glor. Patri*, sed tantum psalmos sine *Gloria* etc. Die 4. Sept. 1745 ad 7. in Aquen.

Ad dub.: Quamvis rubrica ritualis praescribat resp. *In Paradisum* decantari solummodo debere, cum cadaver ad sepulchrum defertur, tamen in civitate Brixisiensi ob sepulchri distantiam usus invaluit praedictum resp. cum aliis precibus tempore absolutionis decantari; quaeritur: utrum usus an rubrica servari debeat? S. R. C. resp.: Posse continuari juxta consuetudinem aliarum ecclesiarum. N. 4694 ad 2 die 28. Julii 1832.

Vd.: *Sepult. sacerdotis def.* (decr.

de die 20. Septembris 1681); *Sepult.* (per triduum etc.)

Ad dub.: An in associatione cadaverum sacerdotum attendi debeat dispositio Ritualis rom. tit. de exequiis seu potius servari consuetudo canendi per viam invitatorum cum psalmo: *Venite*, et in ecclesia residuum officium def.? S. C. resp.: Servetur Rituale. N. 4133 die 1. Dec. 1742.

Exposuit S. R. C. Cancellarius episcopalis Curiae Veronensis morem vigere Veronae defunctorum cadavera de sero ad ecclesiam deducendi eaque postmodum absque ulla pompa, sed uno tantum sacerdote associante noctu deferendi ad caemeterium extra moenia civitatis, atque insimul assentiente Rmo Veronen. Episcopo ab eadem Congr. postulavit, ut sequentia dubia declarare dignaretur, nimirum:

1. An canticum *Benedictus* recitari debeat de sero cum Antiphona *in Paradisum* ac reliquis exequiarum precibus?

2. An potius canticum *Benedictus* sit ommittendum de sero et recitandum die insequenti, quo explentur exequiae veluti corpore praesente post absolutum officium defunctorum missamque solemnem celebratam?

3. An ulla exstet singularis dispositio pro praesenti casu, quo civiles leges existunt ut ad extra moenia in uno eodemque caemeterio cujusque Paroeciae defuncti sepulturae mandentur?

Quae quidem dubia a subscripto Secretario relata quum fuerint in ordinariis S. R. Comitibus ad Vaticanum hodierna die habitis S. eadem Congr. omnibus acurato examine perpensis, respondendum censuit

Ad 1. et 2.: „In casu servandum ordinem in Rituali praescriptum“.

Ad 3.: „Dentur decreta in Florentina diei 25. Aprilis 1781 et in Tri-

den. diei 7. Septembris 1816 ad dubium 43^a. N. 5217 die 21. Julii 1855.

45) Sacerdotis defuncti.

Vd.: *Sacerdos defunctus. Absolutio sacerdotis defuncti; Calix (sacerd. def.); Param. Episc. def.; Planeta; Sepult. parochi.*

Expositum est per Archipresbyterum Altamurae, quod ibi anno praeterito decessit vir quidem nobilis et auctoritate praecipuus, hunc cum ceteri nobiles inusitato aliquo ac peculiari honore prosequi voluissent, apprehensis per quatuor principales viros extremi panni limbis feretrum operientis ad locum usque sepulturae funus duxerunt. Decedenti postmodum sacerdoti etiam nobili, eodem ferme modo, quo cum laicis consueverant, in s. vestibus a sacerdotibus elato, fimbrias itidem hujusmodi oportorii detulerunt. Quapropter supplicatum fuit pro declaratione, an id sit prohibendum?

Et S. C. resp.: Prohiberi ecclesiasticis tantum. Die 20. Septbr. 1681. In Altamurae.

Ad dub.: An cadavera sacerdotum def. Caballini recto tramite ducenda sint ad ecclesiam tumultantem seu potius liceat prius transferre per omnes capellas dicti oppidi et in eis decantare preces? S. C. resp.: Servetur solitum et amplius. N. 4187 die 17. Decembris 1746.

Decedente aliquo ex Presbyteris participantibus trium Ecclesiarum parochialium receptitiarum civitatis s. Silverii intra fines Parochiae Cathedr. absque electione sepulturae privative tumulandus est in Cathedrali; item decedente aliquo ex Capitulo cathedr., et non in parochiali Ecclesia. N. 4262 ad 10 et 11 die 18. Decbr. 1756.

Cadavera Episcoporum, sacerdot., Diacon. aliorumque de Clero debentne sepeliri cum vestibus proprio ordini

congruentibus, an sufficit, ut cum his in ecclesiis exponantur? S. R. C. resp.: Servatur cujusque loci consuetudo. Die 20. Novembris 1831.

Gallien.

Callien. seu Urbinatensium. Juris tumultandi. Castrum Plobici inter Calliensem et Urbinatensem dioecesim positum utriusque jurisdictioni aequis partibus subicitur. In ea parte, quae ad urbinatensem Ecclesiam pertinet, posita est paroecia s. Stephani, in qua suos habet Lares familia Contini. Ex ea sacerdos Bernardinus elapso mense Februarii ad plures migravit, sed casu obiit in ea castrum parte, quae subjacet Calliensi dioecesi intra fines paroeciae s. Mariae Patrum servorum, in quorum ecclesia eadem familia Continia sexaginta et ultra ab hinc annis gentilitium habet sepulchrum. Orta hinc est quaestio inter utrumque Parochum super jure tumultandi. Neuter ex ordinariis poterat de ea jus dicere, cum neutri in aliena paroecia esset jurisdictionis. At facto suo quaestionem dirimit Parochus s. Stephani, qui funus extulit et defunctum in peculiari sepulchro sacerdotum in sua ecclesia tumulavit. Tunc alter Parochus s. Mariae emissa contra factum protestatione postulavit, ut S. haec Congregatio de suo vel adversarii bono jure decerneret. Rogata est sententia tum Archiepiscopi urbinatensis tum Calliensis Episcopi, iisque mandatam est, ut parochis terminum statuerent ad deducendum jura sua. Nec unus nec alter comparuit, sed uterque ordinarius sui Parochi jura deducit ac protuetur.

Parochus s. Mariae urget juris dispositionem, ut sacerdos Contini, qui nulla electa sepultura decessit, debeat sepeliri in sepulchro gentilitio, quod in sua parochiali Ecclesia extat, ad text. in cap.: Nos 1. de sepult., cap.: Cum quis 2. et cap.: Is qui 3. eod.

tit. in 6. Is qui... non electa sepultura decessit, in ea, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debet, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari. Nec sibi obesse putat vel synodales urbinatenses Constitutiones anni 1793, quibus cavetur, „ut clerici et sacerdotes extra urbem decedentes sepeliuntur in Ecclesia parochiali, nisi dum viverent, sepulturam delegerint“ vel sepulchrum distinctum, quod in paroecia s. Stephani constitutum est pro sacerdotibus. Nam Constitutiones synodales nullam vim habere possunt extra territorium et in aliena dioecesi ex doctrina *Benedicti XIV. de Synod. dioeces. lib. 13. cap. 4. n. 9.* Ex decreto vero S. Congregationis Rituum in Senogallien. diei 9. Maii 1705 relato a *Monacell. formul. tom. 4. suppl. ad tom. 1. n. 175.* definitum fuit, clericum, qui sepulturam non elegit, in sepulchro majorum, non clericorum sepeliendum esse. Unde ex hoc distincto sepulchro sacerdotum in paroecia s. Stephani nullum Parochus sibi arrogare possit jus ad tumultandum sacerdotem, qui habet gentilitiam sepulturam.

Parochus vero s. Stephani jura sua plurimum a superius relatis synodali- bus Constitutionibus urbinatensibus protueri confidit. Eas, utpote personam respicientes, vim omnem exercere posse autumat in hoc casu, in quo agitur de sacerdote degente in paroecia s. Stephani urbinatensibus constitutionibus subjecta, nec contra eas praevalere posse jus sepulchri gentilitii in alia dioecesi constituti. Nititur praeterea Parochus *Rituale romano tit. de exequiis §. sepulchra sacerdotum*, in quo praescribitur: „Sepulchra sacerdotum et clericorum cujuscumque ordinis, ubi fieri potest, a sepulchris laicorum separata existant“. Quod Rituale vim legis habet,

cum confirmatum sit auctoritate apostolica Pauli V., ut pluribus collectis auctoritatibus docet Ferrar. bibliothec. verb.: *Canon. artic. 8. n. 12.*, hinc in casu non electae sepulturae sacerdotem sepeliendum esse in separato sepulchro sacerdotibus destinato, rejecto gentilitio, definivit S. Congregatio super negotiis Episcoporum et Regularium proposita in Senogallien. 13. Martii 1690 et in Forosempronien. 1. Septembris 1690, quas refert *Nicollus* in Lucubrat. utriusque juris lib. 4. tit. 15. n. 23. Quas s. Congregationis resolutiones praefendas esse contendit Parochus s. Stephani alius S. Congregationis Rituum, quia ex Sixti V. constitutione 74. illa juri definiendo, de quo nunc quaeritur, instituta sit, haec ritibus tantum approbandis. Tandem idem Parochus s. Stephani praesidium sibi quaerit ex resolutione S. hujus Congregationis in Tiburtina 12. Maii 1685. Disputatum namque fuit: An Canonicus decedens non electa sibi sepultura debeat sepeliri in Ecclesia Cathedrali tamquam sua paroecia vel in Parochia domicilii vel potius in sepulchro majorum? rescriptum prodiit: In Cathedrali, si in ipsa adsit sepulchrum proprium Canonici, sin minus, in sepulchro majorum: his vero non extantibus, an cadaver Canonici sit sepeliendum in Ecclesia Cathedrali vel parochiali, in alia videndum, quam ad verbum inventi in *lib. 35. decret. pag. 231. a tergo.* Ab hoc exemplo infert, ut aequè in sepulchro sacerdotum sepeliendus presbyter non electa sepultura potius quam in sepulchro gentilitio. Non eadem est ratio, scilicet praesumpta voluntas tum in Canonico tum in simplici sacerdote, ut in distincto sepulchro deponantur. His in utramque partem deductis pro meo munere aliquid addendum puto. Constitutiones synodales urbinatenses

nihil decernunt de casu, quo sacerdos sepulchrum habeat majorum, ita ut potius in Cathedrali, si in urbe decesserit, si extra, in parochiali, quam in sepulchro gentilitio sepeliatur. Interpretandae itaque sunt constitutiones ad juris censuram; aliter si ipso juri adversarentur, nullam vim haberent ad tradita per *Bened. XIV. de Synod. dioec. lib. 12. cap. 4. n. 12.* Rituale vero romanum praescribit quidem, ut sepulchrum sacerdotum sit a laicorum sepultura separatum; sed videndum, utrum ex hoc sequatur, ut Presbyteri, qui habent sepulchrum majorum, debeant in sepulchro sacerdotum tumulari non obstante dispositione juris, quae gentilitio sepulchro praerogativam concedit.

Tandem resolutio S. hujus Congregationis in Tiburtina 12. Maii anni 1685 de canonicis agit, quos sepeliendos esse decrevit in Cathedrali, si in ipsa constitutum sit sepulchrum proprium Canonicorum, sin minus, in sepulchro majorum. Utrum vero haec transferri possint ad casum Presbyterorum, qui habent sepulchrum distinctum pro sacerdotibus in parochia, verstrum erit EE. PP. judicium. Videtur sane, non electa sepultura, praesumi posse in Canonicis voluntatem dormiendi cum sociis in servitio et ea in ecclesia, cui viventes servitium praestiterunt. Ita in sacerdotibus verosimile videri poterit voluisse inter suos sanguine conjunctos, cum sepultura inter mortuos domicilio inter vivos aequiparetur, ut *ex text. in cap. licet de sepultur. in 6.* docet *Barbos.* de offic. et potest. Paroch. cap. 26. n. 31., *Nicol.* Lucubrat. civil. lib. 4. tit. 12. n. 23.

Si EE. PP. censeant, constare de bono jure favore Parochi s. Mariae; tunc in secundo dubio statuendum erit: utrum sit locus exhumationi

et restitutioni cadaveris et emolumentorum ad ecclesiam tumulantem spectantium. Ita sane decernitur in cap.: *Animarum* de sepulturis in 6., et statuit S. Congregatio in Sorana funerum 24. Aprilis 1723. Aliquando vero justa concurrente causa et ad evitanda scandala remissus fuit illius Canonis rigor quoad exhumationem cadaveris, restitutis tantum emolumentis funeris, ut statuit *Rota* decis. 429. n. 1. part. 18. recen. et coram Bichio decis. 439. n. 2. Parochus s. Stephani non omni prorsus carebat jure et forsitan in bona fide versabatur, cum niteretur Constitutionibus synodalibus urbinatensibus; attamen quodammodo jus sibi dixit, cum propria auctoritate et contra protestationes Parochi s. Stephani defuncti corpore potitus est. Num igitur cum eo adhibenda sit indulgentia EE. PP. deliberabunt. Geminum proponitur dubium:

I. *An et de cujus bono jure constet ad effectum tumulandi cadaver sacerdotis Bernardini Contini in casu?*

Et quatenus affirmative favore Parochi s. Mariae;

II. *An sit locus exhumationi et restitutioni cadaveris atque emolumentorum ad ecclesiam tumulantem spectantium in casu?*

S. C. resp. ad I.: Affirmative favore parochi s. Mariae.

Ad II.: Affirmative in omnibus.

Die 9. et 30. Aug. 1817.

Tornacen.

Juris funerandi et emolumentorum funeralium.

Die 27. Augusti 1864.

In civitate Montium Hannoniae Tornacensis dioecesis inter alias parochias et illa recensetur s. Elisabeth et altera s. Nicolai. In hac postrema

proprium sibi constituerat domicilium sacerdos quidam Nicodemus postquam nuntium miserat officio parochiali, quo antea functus fuerat, in eaque subita morte peremptus obiit die 6. Dec. 1861. Et quia missae sacrificium hora populo magis commoda quotidie celebrabat ad nutum tamen Parochi et officialium fabricae in altera parochiali Ecclesia s. Elisabeth accepto ad hoc annuo stipendio, Parochus hujus ecclesiae denunciavit Parocho s. Nicolai se jus habere ad ducendum et peragendum funus illius Presbyteri utpote ecclesiae s. Elisabeth servitio addicti, licet in Parochia s. Nicolai domicilium habuisset. Cui parochus s. Nicolai reposuit, se, ne ex contentione scandalum oriretur, permissurum, ut funus in parochiali Ecclesia s. Elisabeth persolveretur, reservatis tamen juribus, si et quae sibi competerent, ceu parochus ipse etiam sub juramenti fide, si opus fuerit, se testari paratum esse renunciavit.

„Interim eadem die 7. Decembris literas dedit Episcopo, in quibus enarrata facti serie exposulabat: „Je me demande si a ce titre Monsieur le doyen de sainte Elisabeth a droit, comme on dit, a l'enterrement? C'est ce qu'il prétend parce qu'il considère M. Nicodème comme prêtre habitué. Cela suffit il, Monseigneur, pour établir le droit de M. le doyen? Les funérailles de M. Nicodème devant avoir lieu lundi prochain, je supplie Votre Grandeur de vouloir bien m'honorer d'une réponse le plus tôt possible.“ Subsequenti die 8. Decembris Vicarius Generalis rogationi responsum dedit affirmativum ea ductus ratione, quia nimirum defunctus „pour être prêtre habitué a s. Elisabeth, fait partie du clergé de cette église.“ In cujus opinionis confirmationem exemplum attulit alterius Presbyteri. „Duvillier Tornacensis, attaché a l'église de s.

Quentin“ qui etsi decessisset intra fines Parochiae s. Margaritae, dans une maison qu'il occupait“ funus tamen illius in Ecclesia s. Quentini persolutum fuit.“

„Hujusmodi tamen Vicarii Generalis responso minime contentus Parochus s. Nicolai canonistarum sententias ea super re coepit inquirere easque sibi propitias unanimiter obtinuit, etsi diu plures per menses singulorum responso expectare debuerit. Haec inter ineunte mense Martio anni 1862 ipsummet Parochum s. Elisabeth rogavit ut suam de quaestione voluntatem et opinionem panderet. Hic vero die 10. ejusdem mensis respondit: „Quant à l'objet de votre lettre du 5. c. je n'ai pas d'opinion a émettre. L'affaire est devenue épiscopale; c'est donc devant le Vicariat qu'elle doit se traiter. Vous êtes bien libre d'agir comme vous l'entendez; quant à moi il m'importe peu dans quel sens elle sera décidée et vous pouvez être bien sûr que je ne dirai pas un mot pour faire pencher la balance en un sens plutôt que dans l'autre. Mais si vous voulez me permettre de vous donner un conseil d'ami, ce serait de laisser la cette affaire; je crains qu'elle ne vous cause plus de désagrémens qu'elle ne vait; et d'ailleurs le cas ne se présentera peut être plus jamais chez vous; c'est la première fois depuis le commencement du siècle. Dans un pareil intervalle novus n'y serons certainement plus ni l'un ni l'autre. Pour tout vous dire, j'ai des raisons de penser qu'on ne vous donnera pas gain de cause a l'Evêché; et en ce cas votre conduite sera interprétée dans un sens peu honorable et en fin de compte on se moquera de vous.“

„Cum igitur jura sibi favere comperisset Parochus s. Nicolai acceptis ut innui canonistarum sententiis et e contra Parochus s. Elisabeth ex allata